

J. Wang, pré-agrégatifs avancés, 2019-2020
À rendre pour le vendredi 15 novembre 2019

Version latine n°3 : suicide d'un empereur

Après avoir régné seulement trois mois, Othon est vaincu à Bedriacum en avril 69 par son rival Vitellius. Malgré la fidélité sincère de ses hommes, qui veulent continuer le combat, il décide de se donner la mort.

Ipse auersus a consiliis belli, « hunc » inquit « animum, hanc uirtutem uestram ultra periculis obicere nimis grande uitae meae pretium puto. Quanto plus spei ostenditis, si uiuere placeret, tanto pulchrior mors erit. Experti in uicem sumus ego ac fortuna. Nec tempus computaueritis : difficilius est temperare felicitati, qua te non putes diu usurum. Ciuile bellum a Vitellio coepit, et ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit ; ne plus quam semel certemus, penes me exemplum erit : hinc Othonem posteritas aestimet. [...] An ego tantum Romanae pubis, tot egregios exercitus sterni rursus et rei publicae eripi patiar ? Eat hic mecum animus, tamquam perituri pro me fueritis, sed este superstites. Nec diu moremur, ego incolunitatem uestram, uos constantiam meam. Plura de extremis loqui pars ignauiae est. Praecipuum destinationis meae documentum habete, quod de nemine queror ; nam incusare deos uel homines eius est, qui uiuere uelit ».

Talia locutus, ut cuique aetas aut dignitas, comiter appellatos, irent propere neu remanendo iram uictoris asperarent, iuuenes auctoritate, senes precibus mouebat, placidus ore, intrepidus uerbis, intempestiuas suorum lacrimas coercens. [...]

Vesperascente die [...] adlatis pugionibus duobus, cum utrumque pertemptasset, alterum capiti subdidit. Et explorato iam profectos amicos, noctem quietam, utque adfirmatur, non insomnem egit. Luce prima in ferrum pectore incubuit.

[Ad gemitum morientis ingressi liberti seruique et Plotius Firmus praetorii praefectus unum uolnus inuenere. Funus maturatum ; ambitiosis id precibus petierat, ne amputaretur caput ludibrio futurum. Tulere corpus praetoriae cohortes cum laudibus et lacrimis, uolnus manusque eius exosculantes. Quidam militum iuxta rogam interfecere se, non noxa neque ob metum, sed aemulatione decoris et caritate principis. [...] Hunc uitae finem habuit septimo et tricensimo aetatis anno.]

Tacite